



The Holy See

IOANNES PAULUS PP. II LITTERAE APOSTOLICAE **HOC CELEBRATUM TEMPLUM** PAROECIALE TEMPLUM
QUOD EST IN STUDIORUM UNIVERSITATE,
QUAE VOCATUR POPULARI LOQUELA «NOTRE-DAME», DIOECESIS
VAYNE CASTRENSIS-SOUTHBENDENSIS ET IPSUM SACRATISSIMO CORDI IESU
DICATUM AD DIGNITATEM BASILICAЕ MINORIS ATTOLLITUR Hoc celebratum templum iam a XVII saeculo scimus
repetere memoriam, quod simul insigne esse catholicae operae testimonium haud ignoramus et missionariorum
sollertiae. Quaedam ibidem ornamenta praeterea sunt quae fidelium fidei fervorem et eorum studiosam curam in
templum hoc versam testificantur. Nos autem his spectatis rationibus, Venerabilis Fratris Ioannis Michaëlis D'Arcy
Episcopi Vayne Castrensis-Southbendensis precibus occurrere voluimus, qui suum tum significans postulatum tum
suorum fidelium, enixe efflagitavit ut paroecialis aedes Sacratissimo Cordi Iesu dicata, eademque in Universitate
Studiorum sita, quam «University of Notre Dame» appellant, in Basilicarum Minorum album referretur. Itaque ea quae
statuit Congregatio de Cultu Divino comprobantes, factis a Nobis quondam potestatibus, Apostolica usi auctoritate
sacrum aedificium, de quo supra est facta mentio, Basilicae Minoris dignitate honestamus, cunctis additis iuribus et
privilegiis, quae ad id genus tempa pertinent. Servetur deinde quae decretum iubet «de titulo Basilicae Minoris» die IX
mensis Novembris, anno MCMLXXXIX foras emissum. Quibuslibet minime obsistentibus rebus. Scimus demum ibidem
campanarum gratissimum concentum identidem diffundi. Sonitus iste speramus fore ut non modo animum hominum
molliat et laetetur, verum ad fidem et christiana proposita audientes revocet et eorum animum spiritualiter concitet. *Datum*
Romae, apud Sanctum Petrum, die XXIII mensis Novembris, anno MCMXCI, Pontificatus Nostri quarto
decimo. ANGELUS card. SODANO

Secretarius Status © Copyright 1991 - Libreria Editrice Vaticana

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana